





*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,  
EXHIBENS CASUM  
*DE*  
CHOREA S. VITI,  
DUCE ET AUSPICE NUMINE SUPREMO,  
*EX*  
DECRETO ET AUTHORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,  
IN  
CELEBERRIMA ARGENTINENSIUM  
UNIVERSITATE,  
PRO  
SUMMIS IN MEDICINA  
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS  
RITE CAPESENDIS,  
Ad D. XVI. Septembris Anno M DCCXXX.  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
submittit  
BARTHOLOMÆUS MARTINUS,  
*Helvet. Glaronensis.*

---

ARGENTORATI,  
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancell. Typogr.


VIRIS,  
AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, CONSUL-  
TISSIMIS ET SPECTATISSIMIS,  
**DNO. JOH. HENRICO**  
**MARTINO,**

Præfectura Comitatus Reinthalenfis antehac magna  
cum dexteritate & laude defuncto, nunc  
Inclytæ Glaronensium Reipublicæ Pro-Consuli Gra-  
vissimo ac Prudentissimo, & Liberæ sic dictæ Pro-  
vinciæ Præfecto Spectatissimo, Patrono, Patrueli &  
Fautori suo, omni honoris & observantia cultu  
ad aras usque prosequendo.

**DNO. JOH. MARTINO,**  
Laudatæ Glaronensium Reipublicæ, Quinqueviro  
Meritissimo, h. t. vero Comitatus Werdenbergensis  
& Ducatus Warthauensis Præfecto Dignissimo, Pa-  
renti suo Dilectissimo, filiali obsequio & amore æ-  
vitemum colendo.

*Hæc primitias suas cum omnigena felicitatis voto, qua  
par est reverentia & observantia dedicat,  
consecrat & inscribit.*

AUTHOR



## PROOEMIUM.



Omo, qui ab Omnipotente  
Creatore summis præ aliis  
animantibus exornatus fuit  
prærogativis atque benefi-  
ciis, tot tantaque deplo-  
rando lapsu sibi contraxit mala, ut me-  
ritas peccati pœnas & contumaciæ  
mulctas, ut etiam ingenti ea, qua antea frue-  
batur felicitate deturbatus, vita nunc  
miserrime variis ærumnis & calamitati-  
bus onusta illi sit agenda. Quis autem  
omnibus afflictionibus & morbis non  
solum in corpus, sed & animam tyranhi-  
dem suam exercentibus enumerandis par-  
eset? brevitatis hinc gratia mittentes

A

omnes

omnes alios atroces affectus , diris symptomatibus & miris dolorum cruciatis indefinenter fere humanam progeniem vexantes , solummodo nos convertimus ad accuratiorem contemplationem convulsionum , & paulo majori cum studio ac diligentia inquirimus in diversas illarum species nulli ætati parcentes , & artus concutiendo , vario modo distorquendo , oculos circumvolvendo , triste sæpius spectaculum intuentibus exhibentes . De iis sane integra conscribere possemus volumina , inter illas vero haud ultimo recenseri meretur loco ea species , quæ alias etiam sub nomine Chorea S. Viti venire solet , qua affecti , uti ex sequentibus patebit , miris gesticulationibus adstantes non solum in admirationem rapiunt , sed & tum peritis , tum imperitis terrorem incutiunt . De qua ægritudine , quantum pro exiguo ingenii modulo , ut & temporis , cuius premor angustia , licitum erit agere , & vires

etymo

A.

vires meas experiri animo quidem proposueram; ad quod non parum incitatus partim quia mihi contigit talem ægrum invisere, & cuncta occurrentia phænomena observare, partim quia pauciores hactenus hoc argumentum prolixè pertinaciterunt; sed contemplando tenuitatem meam & materiæ explicandæ difficultatem perterritus à proposito meo fere iterum desisteram, nisi benevolentia Lectoris fretus suissem, quem proinde submisse etiam atque etiam rogo, ut juvenilibus his meis conatibus ignoscat, & paucas has rudi Minerva & festinante calamo parum solide elaboratas pagellas benigno animo & oculis intueatur. Itaque favente S. S. gratia rem aggredior, faxit interea Divina Clementia, ut conamina hæc cedant in Nominis Sui gloriam & proximi aliquale commodum.

50 6 150

## HISTORIA.



NNO 1726. mense Septembri cum  
Dieffenhofii apud Virum Celeberr. &  
Practic. felicissimum D. D. BRUNNERUM  
artis medicæ excolendæ gratia degis-  
sem, sequens casus fese obtulit. La-  
nionis filia, decem circiter annos nata, habitu cor-  
poris laxo & spongioso, constitutionis teneræ, staturæ  
pro ætate sat proceræ a nimia (uti confessa est) com-  
messione fructuum horæorum male se habere cœpit,  
& primo quidem conquesta est de dolore ventriculi &  
anxietate præcordiorum, unde jussu Matri in lectum  
se recepit, sed ibidem non ultra quadrantem horæ com-  
morata, ex improviso in hypoæustum & quidem  
saltando redibat. Ubi varias pedibus manibusque, i-  
mo toto corpore instituebat gesticulationes, tanta cum  
celeritate, ut Gesticulator etiam exercitatissimus, simili  
sive totius corporis sive membrorum tantummodo ali-  
quorum commotione flexioneque eam imitari vix  
potuisset; interdum enim plane mirandos saltus ad di-  
stantiam plurium pedum fecit, saepius aliquamdiu in  
uno eodemque loco perstans ad magnam altitudinem  
tunc saliendo pertingebat, pedibus humum nonnun-  
quam contudit, & ubi a matre, isto insolito specta-  
culo vix non exanimata, in lectum deducta fuit, eosdem  
gestus aliquamdiu continuare conabatur, ita ut vi in  
lecto detinenda fuerit, interim præsente paroxysmo,  
qui periodicus erat, singulis diebus aliquoties rediens,  
& per dimidium horæ, diutius interdum durans, tanto  
polebat membrorum robore, ut a viris robustis lecto  
coereri vix potuerit. Cum tamen semper finito illo  
de maxima querebatur attuum lassitudine, & tanta de-  
bili-

5( 7 )50

---

bilitate, ut extra insultus tempus è lecto surgere haud  
valuerit; præterea si poculum potu repletum imprimis  
durante paroxysmo in manus ei porrigebatur, mille gesti-  
culationes exhibuit, priusquam ori admovit, & liquida  
avide licet petens deglutire minime potuit, sed statim  
suborta tussi per nares aut os constanter reject; cœte-  
rum tamen mente semper bene constabat, & finito par-  
oxysmo ante actorum exæcte recordabatur, nec quic-  
quam insipienter aut delire loquebatur; interim Paren-  
tes de salute infantis admodum anxxii, morbum istum  
insolitis symptomatibus stipatum beneficis ( pro more  
vulgi, qui quoties aliquid, quod captum superat  
accidit, id statim dæmoni vel, ut Cl. Willis ait, anicu-  
læ insonti in vicinia forte degenti adscribunt ) impu-  
tantes, auxilium Brunneri implorabant, qui pro sua  
in medicina dexteritate morbum debitum profligens re-  
mediis, illam sanitati pristinæ restituit, ita ut hodier-  
num ad usque diem vitam, quantum equidem mihi  
notum, incolumem degat.

### § I.

**E**X recensita morbi historia clare elucescit, fuisse  
illam convulsionum speciem, quæ vulgo  
Chorea & Saltus S. Viti S. Veits Tanz/  
ab aliis etiam morbus S. Modesti, à Para-  
celso vero Chorea lasciva appellatur. Priusquam autem  
ad ejus explicationem progredimur, paucis Ety-  
mologiam hujus affectus contemplari ratum duximus.  
Chorea itaque dirivatur a vocabulo græco χορεία,  
quod communiter illam motionem pedum & cor-  
poris ad rythmum & legem musicam denotare vide-  
tur, quæ saltatio alias dicitur, & quia ægri superius  
narrata convulsionum specie vexati, membra certo

A 3 respe-

( 8 )

respectu, etiam absque musices sono saltantium instar movent, & choreas quasi ducunt, ideo & inde nomen Chorea sive Saltus ei impositum, Sancti Viti vero, à Sancto quodam hujus nominis Viro, de quo traditur, quod S. Virtus & plagæ & poenæ loco hunc hominibus morbum immittat, aut imprimis quod hujus Sancti intercessione homines isto morbo laborantes liberati fuerint, unde variis in locis Sacella Divo isti fuerunt exstructa, ad quæ certo anni tempore multitudine muliercularum tripudiantium confluxerat, ut ejus Divi ope per continuos fere saltus à morbis liberaretur, sic Joh. Rudolph. Camerar. (a) facelli S. Vito dicati in Drefelhausen dictio[n]is Rechbergensis non procul à Geislingen, prope Weissenstein in finibus Ulmensium siti mentionem facit. Cujus itidem Georg. Horstius (b) meminit. Phil. Camerar. (c) suo adhuc tempore tale facellum in monte prope Ravenspurgum, nomen à Sancto isto Viro habens monstratum fuisse perhibet. A Paracelso autem Chorea lasciva nominatur, quia crediderat, eam a solo imaginationis vicio provenire.

## §. II.

Variæ & differentes hujus saltus à quibusdam Authoribus narrantur species, dum aliam dicunt esse idopathicam, aliam symptomaticam, aliam naturalem à causis naturalibus provenientem, aliam supernaturalem a diabolo vel sagis (uti putant) excitatam.

Ad

(a) in Syllog. memorabil. med. & natur. arcan. Cent. X.

p. 74.

(b) Lib. 2. obs. 45.

(c) Horar. Succis. Cent. 2. c. 81.

( 9 )

---

Ad quam merito refertur ea, quæ sedecim viris & tribus  
foeminis in cœmiterio choreas ducentibus ex impreca-  
tione sacerdotis anno 1012. accidisse perhibetur ex Vin-  
centio Belvacensi. Aliam constituunt continuam à prin-  
cipio morbi ad finem usq; durantem, ubi ægri continuo,  
nisi per inevitabilem dormiendi necessitatem aliquando  
interpellantur, saltare gestiunt, uti ex observatione. (d)  
FELIC. PLATERI de foemina quadam Basiliensi,  
per integrum fere mensis spatum publico loco tripu-  
diante (e) annotata apparet; talis etiam fuit chorea  
St. Viti, quæ anno 1374. instar pestis per quatuor an-  
nos graffata est. Aliam periodicam & plane convul-  
sivam per certa vel incerta temporis intervalla redeun-  
tem. Cui, quia & ea in præcedentibus à nobis anno-  
tata saltus species annumerari meretur, ideo reliquas  
omnes sicco transeuntes pede, de hac sola, quan-  
tum angusti temporis cancelli permittunt, agere nobis  
proposuimus,

### §. III.

Definiri autem potest hic morbus, quod sit con-  
vulsionum species varia membrorum contorsione, &  
saltantium instar commotione ægrum exercens, di-  
versis à causis proveniens.

### §. IV.

Exhibita morbi definitione, nunc contemplanda  
occurrunt signa, quibus dignoscatur ab aliis con-  
vulsivis affectibus. Et I.<sup>mo</sup> quidem ab Epilepsia  
in eo, quod insultu epileptico æger subito a-  
missis

---

(a) in observat. Lib. I, Cap. 3.

46( 10 )

---

missis omnibus sensibus externis & internis prosternitur, cum stridore dentium, contractione pollicum, spuma oris, & aliis diris symptomatibus, secus autem incipit paroxysmus chorea S. Viti; & licet epileptici, durante paroxysmo, miras interdum gesticulationes instituant, ita ut nulla fere corporis inflexio vel positura noscatur, teste Graviss. Cl. BOERHAAV. (a) quam inflexionem non exhibent, finito tamen illo ager etiam si perfecte iterum sui compos, minime in paroxysmo actorum recordatur, cuius contrarium in Chorea S. Viti observatur. 2.<sup>do</sup> à Catoche sive Catalepsi, qua correpti repente immoti, nec sentientes illum corporis statum retinent, quem primo momento accendentis morbi habebant. 3.<sup>to</sup> ab aliis convulsorum speciebus v.g. Emprosthotono, Opisthotono & Tetano, in eo, quia in illis non repetitis vicibus nunc totum corpus nunc membra quædam eriguntur vel inflectuntur, nec tam differentes mutationes & agitationes deprehenduntur, uti in saltu S. Viti, sed tantummodo per spasnum musculi cervicem & dorsum retro flectentes ita contrahuntur, ut pedes & caput posterius fere jungantur, uti in Opisthotono, vel caput & pedes antrorsum flectantur, uti in Emprosthotono, vel denique corbus æqualiter fere obrigescat, & in longitudinem quasi extendatur, ut in Tetano, de quibus prolixius evolvi meretur Cl. ZWINGERUS (b) & alii, 4.<sup>to</sup> à Tarantismo sive illo morbo, qui istu Animalculi, de genere phalangiorum, in Apulia copiose provenientis, arva incolentis & viatoribus tempore præcipue messis, messoribus insidias struentis, magnitudine

---

(a) in Aphorism. de cognosc. & curand. morb. do si (a)

(b) in Theatr. Frax, p. m. 279.

sc ii sc

dine circiter glandem æquantis, osto pedibus & totidem oculis instructi, differentis coloris, tela texentis &c. Tarantula dicti infligitur, & 1.<sup>mo</sup> quidem respectu causæ, quæ est Tarantula, alia plane Chorea S. Viti. 2<sup>do</sup> ratione symptomatum quæ in pluribus differunt ab illis in saltu Viti; nam tarantula demorsi, paucum post humi concidunt, ut semimortui, cum sensuum & virium jactura, difficiili, interdum luctuosa respiratio, ac diu sacent velut exanimes, nec surgunt, nec saltare incipiunt, nisi prius audito à citharoedis musicis & quidem (ut contendunt) colori ac genio tarantulæ convenienti sono, ubi dein saltationem ad plures horas imo dies protrahunt, nec unquam tamen sine instrumentis musicis saltant, in quibus si aliquam dissonantiam percipiunt, vehementibus illico suspiriis affliguntur. 3<sup>ro</sup> respectu effectuum, quia morsu Tarantulæ ægri in præsentaneum plerumque vitæ periculum (ni mature musica succurratur) præcipitantur, & tandem 4<sup>to</sup> curationis modo, quæ in tarantismo vix alter succedit quam musica, uti Cl. BAGLIVUS (a) fusius annotavit, cum e contra in ista specie saltus Viti, de qua agimus, uti non ad musices sonum saltationem instituunt, ita etiam illa in curatione vix quicquam efficitur, sed alia plane medendi requiritur methodus.

### §. V.

Tradita morbi diagnosi, cum recta causarum agnitione, medentibus ferè idem quod naucleris nautica pyxis præstat, & plurimum ad curationem contribuat  
B

(a) In Dissertat. de morsu Tarantulæ.

tribuat, ideo & nobis incumbit seria tam proximæ, quam remotarum causarum indagatio; proximam igitur quod attinet, illa meritò derivatur ab inordinato influxu liquidi nervei alternatim in musculos antagonistas, proveniente ab irritatione fibrillarum nervearum.

### §. VI.

Nascitur autem hæc causa proximia ex aliis, iisque diversissimis causis, quæ commode tamen dividuntur, vel in remotas corpori inhærentes & prædisponentes dictas, ac procatarcticas; prædisponentes autem dicuntur illæ, quæ corpus ita mutant, ut aptum reddatur suscipiendi morbum, si alia sc. procatarctica; quæ eam in actum ducat, accedit. Inter illas igitur primo loco recenseri potest hæreditaria dispositio, si nimirum talibus parentibus procreati, qui similibus convulsivis motibus erant vexati, nam Parentum morbos sæpius in liberos transmigrare & per successionem quasi tradi, quotidiana docet experientia. 2<sup>do</sup> tenera nimis & imbecillis nervorum structura, quæ, quia sensibilior, facilius etiam irritatur, & ad spasmaticas tales contractiones stimulatur uti à Cl. FR. HOFFMANN. (a) optime demonstratur. 3<sup>to</sup> Laxitas nimia viscerum chylificationi inservientium. 4<sup>to</sup> dyscrasia humorum qualiscunque.

### §. VII.

Inter Causas autem procatarcticas primo loco ponendus aër, de quo & in vulgus notum, quanta ma-

(a) in Med. Rational. System. tom. 2<sup>do</sup>.

la , si qualitate quacunque noxia imbutus, masticatis & deglutitis cibis permixtus, aut per quascunque vias interiora corporis subiens inferre queat , imprimis infestus generi nervoso , de quo proin jam Medicorum Parens, Divus ille HIPPOCRATES (a) bene dixerat, eum esse maximum auctorem & dominum in omnibus, quæ corpori accident. 2.<sup>do</sup> ingesta , jam vitiosa qualitate, ut sunt fructus horae non sat maturi imbuta, si adhuc majori quantitate, quam ut à ventriculo & concurrentibus ad digestionis opus humoribus subigi possunt, assumuntur , 3.<sup>to</sup> retenta, quæ excernenda fuissent. 4.<sup>to</sup> animi pathemata, ira, moeror, timor, tristitia &c. Quæ in infantibus hujus ætatis præpostoræ disciplinæ scholasticæ rigidiori ac insuetæ subjectis præcipue apprehenduntur ; quanta autem illa non solum infantibus, sed & adultis inferant mala, quotidiana docet experientia, & de illis consuli potest Cel: BOERHAAV. (b) 5.<sup>to</sup> Vermes, vel in intestinis aut ventriculo stabulantes, atque rosione sua sistema nervosarum partium graviter irritantes talem morbum procreare valent, uti appareat (c) ex *Actis Berolinensium*.

### §. VIII.

Exhibitum morbi causis tam proxima quam remotis, indagando ulterius pergimus, & quidem ad nervos, qui sc: primario afficiuntur, an sint illi ex cerebro, vel potius e spinali medulla prodeentes, quorum posteriores priæ prioribus irritari inde concludimus

B 2

pri-

(a) Libr. de flat. § 7.

(b) in Institut. med. §. 771.

(c) Volum. 2do, p. 54.

primo, quia inspectio Anatomica nos docet, nervos spinalis medullæ prospicere illis partibus sc. extremitatis, in quibus præcipue convulsivi isti motus exseruntur. 2.<sup>do</sup> quia observamus, quod si nervi intra cranium originem sumentes offenduntur, liberum sensuum tam internorum, quam externorum exercitium statim tolli, ut in Epilepsia, nec non A poplexia clare patet, unde etiam ratio redditur, cur in CHOREA S. VITI sensus omnes integerimi permaneant.

### §. IX.

In explicatione autem mirabilium hunc morbum commitantium phœnomenorum magnum inde nobis afulget lumen, si paulo attentius consideramus anastomosis nervorum per totum corpus, a Cl. WIL LISIO & VIEOSANO accurate descriptam, figurisque illustratam, qua mediante mirabili mechanismo, irritatio facta in uno nervorum ramulo, statim eodem fere momento diffunditur in loca diffusa & remota, absque eo, quod tangentur, pungantur, vel vellicentur, quod toties experimur, quoties plumeola, vel etiam levissimo stramine nervosam per nares expansionem tangimus, ubi per consensum statim irritari videmus nervos pectoris, diaphragmatis atque abdominis, adeo ut motus vehementes sternutationis orientur, vel si nervi asperæ arteriæ leviter afficiuntur, tunc illico excitari deprehendimus tussim; præterea quotidie fere observamus, quantos etiam suaveolens alias, moschi odor in Hystericis & Hypochondriacis producere valeat convulsivos motus; deinde si perpendimus musculi fabricam & aptum eius ad perficiendam actionem, cui destinatus, nexus, insertionem, vim item & directionem illius

lius totidem mechanicis auxiliis , v. g. fasciis , hypo-  
mochleis , trochleis &c. adjutam atq; ejus agendi modum ,  
nervorumque per illum expansionem , ita ut nullum fere  
deprehendatur punctum , in quo non talis fibrilla ner-  
vea adsit ; porro miram & plane diversam ab aliis locis  
nervorum in musculo evanescentiam , de quibus pro  
more eruditè agentes evolvi possunt Celeb. Viri  
BOERHAAV. (a) WILLIS (b) BERNOULLIUS  
(c) & alii. Porro liquidi nervi sive spirituum ani-  
malium per nervos , musculis influentium , quantum  
à posteriori colligere possumus , naturam fluidissimam  
facillimeque mobilem ; denique quanta cum celeritate  
Chironomi atque Gestulatores animæ imperio , hos  
vel illos musculos moveant , qui motus iisdem in-  
strumentis & mechanico modo fiunt , ac involuntarii  
sive convulsivi , nec in actione ipsa , sed causa tantum  
modo efficiente ab illis discrepant , dum scil. prior ab  
imperio Animæ secus ac posterior proficiuntur.

### §. X.

His igitur præmissis indagando ulterius pergimus  
ad dolorem ventriculi & anxietatem pectoris , quæ  
nostro quidem judicio inde originem duxere , quod  
cibi partim etiam nimia quantitate ingesti & vitiosa  
qualitate imbuti non bene digeri , & in chylum lau-  
dabilem converti potuerunt , sed diutius in ventriculo  
hærentes , in loco calido , qualis ventriculus est foti , sibi-

B 3

que

(a) Instit. Med. de muscul. action.

(b) Tract. de mot. muscular.

(c,) Diff. de mot. muscular.

que commissi, statim in motum fermentativum redacti fuerunt, & eam acquisiverunt indolem, quam suæ naturæ loco calido stagnantes debent, sicque in acidum humorem conversi, nerveam admodum sensilem Ventriculi tunicam lancinando molestum illum doloris sensum induxere, atque ob illam in §. IX. annotatam nervorum anastomosis inter costales nervos & diaphragmaticos etiam in consensum trahendo anxietatem pectoris excitavere, cum autem ob longiorem moram materies sive cruditates istæ in primis viis hærentes non solum aciores redditæ, sed jam pars quædam in vasæ lactea propulsa atque mastæ sanguineæ permixta & fibrillis nerveis applicata fuerit, illas pro singulari superficie suæ structura & applicatione, diversimode irritando inordinatum spirituum animalium per nervos in musculos influxum produxerunt & violentos illos convulsivos motus excitaverunt; certum quippe est quietem corporis dependere ab æquabili liquidorum imprimis spirituum animalium per ductus & canaliculos suos distributione, ita ut in nullum antagonistarum musculum præ altero impetuosior fiat influxus, unde consequenter etiam nullus præ antagonista majorem vim exercere poterit; si vero, quacunque de causa id proveniat, huic vel illi musculo v. gr. deltoidi aut alii duplo celerius applicatur liquidum nervorum, tunc necessariò sequitur, illum eodem tempore etiam duplo plus liquidi nervi præ reliquis scilicet antagonistis recipere & tantum illis decedere, quantum huic accedit, unde prona fluit consequentia, illum tunc etiam fortius agere & antagonistarum resistentiam longe superare posse, sic igitur quantum augetur influxus in elevatores v. gr. humeri, tantum ille minuitur in antagonisti.

17 390

gonitas sive depressores, & inde elevatores depressoribus prævalentes humerum elevabunt. Idem fit cum cæteris manuum vel pedum ac totius corporis muscularis. Si jam ideo inordinatus à diversa nunc horum, nunc illorum muscularum irritatione proveniens succi nervi influxus in antagonistas alternatim fit, etiam illos alternatim agere atque unum alterius resistentiam superare debere clarissimè patet; quo magis autem musculus inflatur, eò etiam fortius se contrahit & actionem suam majori vi absolvit, unde demonstrari & explicari posset, qualis esse & in quosnam musculos fieri debeat influxus ad efficiendam tam validam & uno fere tempore contingentem illorum contractionem, ut nimirum non solum aptus ad saltum corporis situs inducatur, sed etiam ut moles corporis à contactu pavimenti removatur, ac factò saltu à terra, cui insistit, sursum impellatur, quounque impetus gravitatis sensim auctus æquetur impetu illi projectitio saltus, item quantum vis motiva, quæ ad efficiendum saltum requiritur, superare debeat pondus corporis; quia autem hæc describere minis prolixum hic foret, ideo L. B. ad incomparabilem JOH. ALPH. BORELL. (a) ista de materia non minus eruditè quam ex instituto agentem remittimus; potius pergentes ad indagandum illud symptoma, quî acciderit, quod liquida deglutire non potuerit, sed suborta tussi per os & nares constanter rejecerit; quod inde evenisse autumamus, quia ut notum, in valde composita deglutitionis actione velum palatinum extendi & foraminibus narrum ita applicari debet, ne deglutienda per illa redant.

(a) Libr. de mot. Animal. p. 207. & seq.

eant & itidem epiglottidem glottidis rimæ , ne  
quicquam de cibis aut potu in illam delabatur; si  
igitur ob spasmadicam aliqualem affectionem ve-  
lum palatinum non rite , ut in statu naturali fit, ex-  
plicatur, sicque foraminibus narium applicatur, non  
recte etiam munere suo fungi & liquidorum per nares  
eruptionem, nec epiglottis ob similem spasmadicam  
affectionem glottidem recte operiens delapsum in  
asperam arteriam impedire potuit, unde liquida naæta  
occasione irruendi in glottidem & asperam arteriam  
substantiam illam valde tensilem stimulando statim  
tussim excitabant, ubi postea per violentos istos exci-  
tatos reciprocos concussus exspiratorios iterum per  
quascunque vias ibidem obvias fuerunt expulsa, dum  
autem spasmatica epiglottidis contractio erat exigua,  
nec magnam in glottide aperturam relinquebat, quam  
non cludebat, ratio inde patet, cur sine incommo-  
do solida deglutire potuerit.

### §. XI.

Restat autem adhuc quædam in explicatione dif-  
ficultas respectu paroxysmorum singulis diebus statis  
ferè temporibus redeuntium, num id inde evenerint?  
quod per validissimos illos muscularum motus par-  
tiumque agitationes fluidissimæ sanguinis & liquidi  
nervei partes fuerint dissipatae, ita ut non amplius suf-  
ficieni quantitate ad paroxysmum longius protrahen-  
dum influere in musculos potuerint, sicque paroxys-  
mum diutius protrahere, quod ex parte etiam con-  
firmare videtur debilitas & laßitudo illa paroxysmum  
excipiens; vel an fortasse etiam per istos superius anno-  
tatos spasmodicos motus materia irritans corpore fue-  
rit

rit expulsa, unde ad tempus neryi ab irritatione liberati manserunt, usquedum tandem iterum exprimis viis vel quocunque alio loco sufficiens quantitas materiae peccantis ad producendum novum paroxysmum in massam humoralem transferit, & nervis denuò applicita novum paroxysmum resuscitaverit. Quæ cum altioris sint indaginis, ideo etiam aliis dijudicanda relinquimus.

## §. XII.

Accedimus autem nunc ad effectus, quos dirus hic morbus, ni mature convenientibus remediis ei succurratur, producere valet, qui sane non spernendi, nam per convulsivos istos saepiusque redeuntes motus genus nervosum adeo debilitatur ac laeditur, & talis illi quasi inducit habitudo, ut levi postea sed causa spasmatica illæ constrictiones resuscitentur, & motus isti vitiosi in consuetudinem tandem ferè abeant, unde facile tot violentis & repetitis convulsivis motibus artuum contorsiones, distorsiones & deformitates inducuntur, ac tandem plane nervos cerebri indies magis in consensum trahendo in deplorandum epilepticum morbum degenerant, & sic denique epilepsia communis effectus, nempe vacillationem memoriae, hebetudinem, fatuitatem, paralysin, apoplexiam & tandem mortem procreant.

## §. XIII.

Prognoseos ergo tenendum, hunc affectum, si negligatur, suo haud carere periculo, et si radices jam altiores egerit, curatu difficultem & pertinacem (quod C test.

test. Graviss. Cl. WEPFERO (a) & Cl. HOFFMANNO  
(b) nervosis affectibus solenne) evadere, nisi fortasse ac-  
cedentibus pubertatis annis, ut Cl. SYDENHAM vult (c)  
per mensium fluxum mitigetur, vel in aliquibus pla-  
ne tollatur; interim tamen semper eo pertinacior est  
& minus remediis auscultat, quo tenerior, præsertim  
a dispositione hæreditaria nervorum est constructio.

#### §. XIV.

Nihil aliud jam supereft, quam ut patica de curatio-  
ne adhuc addamus, cuius cardo in eo consistere vide-  
tur. 1) ut materies peccans è primis viis eliminetur  
2) acrimonia hærens in massa humorali corrigatur,  
3) ut nervosum genus roboretur, 4) ventriculi  
& reliquarum partium tonus restituatur.

#### §. XV.

Ad seopum ergo nostrum feliciter obtainendum,  
serio inquirendum erit in constitutionem primarum  
viarum scil. ventriculi atque intestinorum, ac si per  
certa signa deprehendimus five cruditates acido-visci-  
das five vermes illis inhærente, tunc in tempore con-  
venienti vomitorio vel purgante hæc heterogenea è  
corpore eliminentur, & quidem si cruditates vitiosæ,  
tunc præparandis illis & amovendis ex sequentibus  
naturæ & constitutioni ægri apta ac congrua pro judi-  
cio medentis eligi, & adhibita debita prudentia conve-  
niente

(a) In obs. med. practic. de morb. capit.  
(b) In Medic. Ration. System. tom. 2. passim.  
(c) Oper. med. tom. I. pag. 518. & 682. edit. Genev.

niente dosi præscribi possunt. v. g. tartar. emet. rad. ipecacuanh. rhabarb. ver. jalap. fol. fenn. mann. calabr. magnes. alb. syr. de ciehor. cum rhabarb. passifl. laxativ. &c. quæ vel in substantia exhibentur vel ad palatum ægri in varias formulas rediguntur.

### S. XVI.

Si vero vermes in illis stabulantur, atque rosione sua tunicam ventriculi & intestinorum irritando tales convulsivos motus concitant, ad expellendos ingratos istos hospites talia in usum vocanda, quæ vim quasi specificam anthelminticam obtinent, v. g. Mercur. dulc. aloë hepatic. diagryd. sulphur. sem. cinæ tanacet. trochisc. alhand. hermet. Scret. agaric. trochisc. mass. pilular. de succin. Crat. Emanuel & similia, quæ vel in forma pulveris, pilular, aut boli aut quoconque alio modo ægro exhiberi possunt, in quibus selectum observare medico maxime incumbit.

### S. XVII.

Expurgatis sic primis viis, si humores acrimoniæ à eruditatibus §. XV. annotatis jam contraxerunt, tunc ad illam corrigendam absorbentibus utendum v. g. ocul. 69. ppt. test. ovör. ppt. conch. ppt. corall. rubr. & alb. ppt. os. sep. c. c. ust vel ph. ppt. mandibul. luc. pise. eret. ppt. crystall. ppt. &c. Ad roborandum autem genus nervosum atque motus convulsivos avertendos & præcavendos nervina antiepileptica & anti-spasmodica sic dicta suppetias ferunt exoptatissimas ex. gr. unicorn. ver. unguil. alc. succin. alb. dent. hip;

hippopot. castor. lap. bezoard. or. & occ. ægagropil. cinnab. antimonii vel nativ. antimon. Crud. rad. pœon. betonic. valerian. petasit. visc. querin. sem. pœon. pulv. epileptic. marchion. eraton. specif. cephal. Mich. theriac. coel. aq. cinamom. buglos. cordial. Nor. epileptic. Lang. syr. fl. tunic. conf. de hyacinth. liq. c. c. succinat. sal. volat. oleos Sylv. c. c. viper. eff. castor. succin. &c. Quæ pro lubitu Medici in substantia decocto, infuso, pulvere aut mixtura propinari possunt.

## §. XVIII.

Tonus vero ventriculi debilitatus ut iterum restituatur, sicque nova generatio vel vermium vel cruditatum acido-viscidarum impediatur, sequentia egregio esse possunt præsidio. v. g. rad. galang. zedoar. calam. aromatic. acor. ver. absynth. chamonill. rom. cent. min. card. benedict. sem. anis. foenicul. zingib. cardamom. caryophyll. cinnamom. macis. pulv. stomachic. Birckmann elixir. stomach. Mich. eff. absynth. comp. Conderding. extr. card. bened. cent. min. & quæ plura.

## §. XIX.

Præterea regulæ diæteticæ bene sunt observandæ, quippe quæ plurimum ad curationem conferunt, hinc omnia acida, saccharata, mellita, pastæ farinaceæ, fructus horæ summopere vitanda, è contrario quæ facile digeruntur, quæ chylum laudabilem præbent, quæ alium apertam servant, parva quantitate, sed sæpius conceden-

cedenda, opera insuper danda, ut animus sit pacatus,  
ab ira, metu, terrore sibi caveant ægri, somnus lar-  
gior concedendus & exercitium corporis moderatum  
suadendum &c.

§. XX.

Generali autem indicationi remediorum in tali  
morbo proficuorum annexere ratum duximus & il-  
lam medendi methodum, qua haud sine prospéro cum  
succesu usus fuit B. D. D. Brunnerus, in supra recensito  
affectu convulsivo profligando, postquam vocatus  
erat ad ægram, cum ex recensione diæta infantis ac  
certis aliis signis concludere potuit, in primis viis  
adesse faburram vitiosorum humorum, finito paroxys-  
mo tempore intermissionis statim exhibuit sequens  
vomitorium

R rad: Ipecacuanh. 3ß

Tart. emet: gr. j

M: f pulv: pro dosi

a cuius usu multum cruditatum acido-viscidarum  
per superiora ejicit, quo facto paroxysmi statim mi-  
tiores redditi fuerunt, unde illud debitissimè interpositis  
alterantibus bis repetit, deinde ad humores edulco-  
randos, atque nervorum genus roborandum sequen-  
tem pulverem praescripsit

R pulv. rad. pœon.

Visc. quern. aa 3ij

C. c. ph. ppt

unicor. ver. ppt

ungul. alc. ppt

succin. alb. ppt

Cinabr. antimon. aa 3iv

M.

M. d. ad sc. S. Pulver davon alle Tag drey mahl 3.  
 Messerspiz voll zunehmen / cui postea adhuc pulv.  
 stomach. Birkin. & trag. aromat. off zij vel ij ad-  
 didit. & ejus usum per longum tempus continuari  
 præcepit ; præterea regulas diæteticas exacte obser-  
 vandas inculcavit, præservationis gratia lene laxans, cu-  
 rius basis Rhabarb. singulis fere mensibus usurpandum  
 præscripsit &c. Et hæc sunt, quæ de morbo illo in com-  
 pendio tradere mecum constitui , quia plura addere  
 temporis angustiæ haud permiserunt. Quare te L.  
 B. enixe rogo, ut hisce primitiis faveas & si alicubi  
 erravero ignoscas. Interim Deo T. O. M. pro viribus  
 hastenus concessis sit Laus, Honor, & Gloria.

F I N I S,



M

(x2282770)

V017





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,  
EXHIBENS CASUM  
DE  
CHOREA S. VITI,  
DUCE ET AUSPICE NUMINE SUPREMO,  
QUAM,  
EX  
DECRETO ET AUTHORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,  
IN  
CELEBERRIMA ARGENTINENSIMUM  
UNIVERSITATE,  
PRO  
SUMMIS IN MEDICINA  
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS  
RITE CAPESENDIS,  
Ad D. XVI. Septembris Anno M DCCXXX.  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
submitit  
BARTHOLOMÆUS MARTINUS,  
*Helvet. Glaronensis.*  
ARGENTORATI,  
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancell. Typogr.